QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. MENSIS NOVEMB. MAGISTRO CLAVDIO QVIQVEBEVF DOCTORE MEDICO MODERATORE.

655.

An lac in mammis certum corruptæ virginitatis argumentum?



EDICINA θεοπρεπὴς quidem ἐπιστήμη, sed στοχαστική, triplicem corporis humani constitutionem signorum concursu potiùs quàm vllo παθογνωμονικῷ explorat. Natura quippe πολύτροπος non rarò ludit in ambiguis, & affectus varios vno signi genere designat: Dum sanitatem in vultu pingit, sæpe vulnus alit venis, & cæco conficit igni: Non vacat periculo εὐεξία, nec πολυαιμία morbi metu: viuidus faciei color sanum febrilemque comitatur affectum: & fames tam ægri est interdum quàm bene valentis stomachi: frustra sanitas (quæ nusquam perfecta est) vno exploratur signo, sed multorum sylloge, à quibus physiognomoniam & oniromantiam nemo sanæ mentis excludet.



E IPSA quidem virginitas genitalibus partibus infixa vnico indicio deprehenditur: Non habent mares propria integritatis suæ argumenta, pauca virilitatis, fœcunditatis parum certa, cùm barbæ densitas nec fœcundos arguat, nec raritas infœcundos: fœminarum virginitatem multa corrumpunt, nulla restituunt; pauca demonstrant. Nugantur qui ex sola voce, vel ex colli amplitudine eam venantur: inutiles planè ad id suffitus: obseruatio nasi & vrinarum ridicula: eugium & hymenæum plerumq; Natura non exprimit, & interdum caruncularum quę ad instar floris protuberant obliuiscitur. Sed nec angustia locorum fida satis, aut ex primo coïtu fusus sanguis.



ACTIS collectio aliàs violatam virginitatem anteuertit, aliàs consequitur: eius generandi facultas mammis insita est non fœminarum solùm, sed etiam virorum: materia sanguis vtplurimùm menstruus, sola vbertate excrementitius, nonnumquam nutritius quoque ac laudabilis in hepate aut liene præparatus: hic in viris sua copia potiùs quàm lunę syderúmque motu ac influxu ad mammas vbertim exundans; partim in earum alimētum facessit, partim earum calore & contactu excoctus vertitur in succum candidum, dulcem, æqualem, minimum casei, butyri exiguum, seri plurimum continentem.



VM in vtero moueri fœtus incipit (quod tempus æquè incertum arbitramur ac ipsius partus) sanguis maternus maiori copia collectus quàm nutriendo per vmbilicum fœtui conueniat, per epigastricam venam & internam mammariam sursum exprimitur ad mammas, quarum contactu σφραγῖδα lactis accipit: illic non ad præsentem alimoniam fœtus, sed ad eius affectus detegendos ad partum vsque asseruatur: A partu alimentum fœtui humano suggerit cognatum & ὁμόφυλον, cum quo tamen interdum morum simul & morborum seminaria infundit. Errant qui fuscum candido præferunt, vel salubrius ducunt lac nigrarum quàm candidarum mulierum.



ONNVNQVAM integra virginitate puellis lac erumpit, vel suppressis, vel nondum appetentibus menstruis purgationibus, pulposæ & venosæ nondum adultarum mammæ affluenti sanguini candorem impertiuntur non secus ac ossa medullæ, testésque semini etiam quibusdam impuberibus: statis verò periodis ex vtero non effluens adultarum sanguis illic hæret, in venenum aliquando degenerans: raptus autem ad mammas interdum maniam futuram denuntiat: interdum lactis formam induit; quo modo frequenter varios præter naturam affectus inducit, θρόμβωσιν, τύρωσιν, inflammationem, pilarem morbum, puerperio, grauiditate, corrupta virginitate falsò ementitis.

Ergo lac in mammis non est certum corruptæ virginitatis argumentum. 102


F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiæ VRBANVS BODINEAV ANDEGAVVS, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. FRANCISCVS MANDAT.
M. FRANCISCVS QVIQVEBEVF.
M. CLAVDIVS LIENARD.
M. RENATVS MOREAV.
M. DIONYSIVS ALAIN.
M. LAZARVS PENA.
M. HIERONIMVS GOVLV. M. P. R.
M. HENRICVS DE BLACVOD. M. P. R.
M. GABRIEL BIART.